

maris refluxu fuisse conjunctum, huncque impulso suo ita auxisse, ut aquæ recedentes nudam & siccum fundum per spatium satis amplum præbuerint. In quâ sententiâ licet fortasse & illud desiderari possit, quod æstum reciprocum dari in sinu Arabico tantum probet, refluxum vero in ipsum tempus trajectionis Israëlitarum incidisse gratis supponat: Mox tamen habet quod regerat *Dn. Clericus*, nimirum, non esse multiplicanda miracula, ubi causæ secundæ præsto sunt, nec has temere rejiciendas, ubi textus Scripturæ illas admittit.

§. V. Hæc cum ultrò citròque diu ponderassemus, visum tandem est, aliâ viâ rem aggredi, & Matheseos ope eruere ex hâc controversiâ veritatem. Advertebamus enim, totius negotii cardinem verti in illâ quæstione, *an præcisè eò tempore quò populus Israëliticus mare rubrum transivit, ejus ordinarius refluxus, & quò Ægyptii perierunt, solitus fluxus seu intumescencia fuerit*: cujus decisio nusquam felicius, quàm ex observationibus Geographorum earumque collatione cum Chronologiâ, & siderum tunc temporis positu, peti potest. Hæc principia, uti communia minimeque suspecta sunt, ita nemo, vel Ethnicorum, vel Atheorum, nisi absurditatem suam manifestò profiteri velit, deductas hinc rite conclusiones negare aut respuere poterit. Decrevimus igitur B. C. D. quousque his mediis progredi in hâc materiâ liceat, periculum facere; de successu B. Lector judicet.

CA.